

facile has *Cardinales Capellas* tum Papiæ, tum Mediolani Canonici majoris Ordinis collatas, Cardinalitium Titulum iis peperisse. Atque ad ejusmodi usum alluisse videtur Sanctus Johannes Gualbertus, ut est in Cap. 3. Vitæ illius, editæ ad diem XII Julii a Clarissimis Patribus Soc. Jesu in Actis Sanctorum. Is enim Monachos suos prohibuit accipere Capellas, ad hoc quod aliquando a Monachis regi deberent. Canonorum, non Monachorum, hoc esse officium dicebat. Vide etiam in subsequenti Differtatione verba Concilii III. Aurelianensis. Ac proinde non incongrue statui jam posse videtur, ideo Cardinalium nomenclaturâ ornatos olim fuisse quarundam Urbium Canonicos, quod Rectores quoque forent Ecclesiæ alicujus Cardinalis, in eadem plerumque Urbe sitæ. Fortassis etiam nihil opus fuit, ut Ecclesiæ

illa Baptismalis foret. Et revera Diaconias Cardinales olim non fuisse Baptismales, arbitrator. Neque Baptismales quævis inter Cardinales Ecclesiæ recensebantur: nam plerumque Urbanis tantummodo Parochiis & Diaconis hic titulus conferebatur. Idque etiam elucere videtur ex Diplomate Caroli Crassi, spectante ad Annum DCCCLXXXI. apud Campium, Tomo primo, pag. 467. Histor. Ecclesiæ Placentinæ, ubi hæc verba: *Cum Monasteriis, & Cellis, vel Ecclesiis Baptismalibus, quæ intra Civitatem prædictam Cardinales habentur, sive quæ extra Civitatem existunt.* Sed hæc adjungenda est Charta ex Archivum Metropolitanæ Senensis prærompta, quam communem mecum voluit mei, dum vivebat, amantissimus vir, Hubertus Benvoglientus, sæpe in hoc Opere laudatus.

Donatio a Rodulpho Episcopo Senensi facta Capitulo Canonorum Senensis Ecclesiæ, Anno 1081.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno Dominice Incarnationis Millesimo Octuagesimo Primo, IV. die Novembris, Indictione V. Beatissime venerabilis Regule Canonice Sancte Marie Senensis Episcopatus, in qua, nos Deo defendente, Dominus Lambertus Archiepiscopus preesse videtur, omnibusque Canonici ibidem regulariter viventibus. Ego quidem in Dei nomine Dominus Rodulfus Sancte Senensis Ecclesiæ Episcopus, donator in præfata Canonica pro oblatione & illuminatione, seu eterna remuneratione anime mee, & Johannis Episcopi, successorumque meorum, prono animo, ac spontanea mea voluntate, nullo me penitus cogente, neque compellente, vel vim inferente, sed meo proprio deliberationis arbitrio dono, concedo, trado, & transfero præfate Canonice, & ad præfatum Archiepiscopum, Lambertum nomine, qui modo huic præfate Canonice preest, & ad suos posteros successores, qui pro tempore ibidem ordinati fuerint, una cum suis Fratribus, qui nunc ibidem sunt, & in antea ordinati fuerint, & insimul ad unam mensam vixerint, de bonis Ecclesiæ Sancte Marie, idest integram terram, & Vineam prope præfatum Canoniam, postam in loco, qui dicitur al Canello, & est ab omni circuitu designata; ex uno latere est Via, que modo vadit ad Fomtem, que vocatur Vitrice; ex alio vero latere est terra Contile, quam detinet Rainerio Dippie, & fossatum desuper usque ad casas & mura Civitatis; desuptus est fossatum, qui procedit a fronte Bramda. Ut ammodo a presenti die liceat tibi præfato Archiepiscopo, tuisque successoribus, omnibusque in præfata Canonica regulariter viventibus & futuris, ibidem introire, & in perpetuum abire, & tenere, laborare, & frueri ad vestrum, vestrorumque successorum usum, ad faciendum exinde, quod volueritis, sine omni mea Rodulfi Episcopi, meorumque successorum contradictione. Et ab ac die nunquam liceat mihi Rodulfo Episcopo, meisque successoribus ullo unquam in tempore præfatum integram terram & Vineam una cum accessione & ingresso suo, seu cum superioribus & inferioribus suis, de jam dicta Canonica tollere, contendere, subtrahere, minuere, sive Libellario nomine transcribere, sive pro quocumque ingenio alienare, aut aliquam repetitionem facere: sed liceat vo-

Bis omni tempore quiete abire & tenere sine omni mea Rodulfi Episcopi, meorumque successorum contradictione. Quod si, quod absit, & avertat Divina potentia, & omnia, que superius legitur, ego Rodulfus Episcopus, meique posteri successores non observaverimus, aut contrahere, aut infringere voluerimus: tunc obligo, promitto, me, meoque successores tibi præfato Archiepiscopo, tuisque posteris successoribus, præfate Canonice daturos & composituros penam numerum centum Librarum optimi argenti. Et post etiam data pena & absoluta hoc scriptum in perpetuum manere stabile & firmum. Et insuper omnipotenti Deo, & Beate Marie semper Virgini, & beati Petri Apostolorum Principis, & beati Severini Confessoris occurrat offensum. Et a trecentis decem & octo Patribus anathematizetur, excommunicetur, & condepnetur, & cum Juda traditore participetur. Unde hoc scriptum in sancta nostra Synodo corroboratum, & conlaudatum, scribere rogavi Petrum Notarium & Judicem sacri Palatii.

Actum Senæ intus Ecclesia Sancte Marie Domini Episcopi Senense.

Ego Rodulfus Dei gratia Sancte Senensis Ecclesiæ Episcopus, in hoc scripto a me facto, & in sancta Synodo est laudato & corroborato, subscripsi.

Signum ☩ ☩ manuum Ugonis & Raineri germanis & Comitibus rogati testes.

Signum ☩ ☩ ☩ manus Ugonis Vicecomitis, & Raineri filii quondam Pacci, & Rollandini filius quondam Raineri de Malignano, rogati testes.

✠

Hubertus Vicedominus subscripsi.

☩ Ego Vicido Clericus & Primicerius inter sui & subscripsi.

☩ Ego Raimando Abbas subscripsi.

☩ Ego Rodulfus Medicus & Clericus subscripsi.

☩ Ego Azzo Archidiaconus subscripsi.

☩ Rollandus Clericus & Prior Scote subscripsi.

☩ Ego Joannes Medicus subscripsi.

☩ Ego Andreas Clericus subscripsi.

☩ Ego Martinus Clericus & Canonicus subscripsi.

Ego Rollandus Judex sacri Palatii subscripsi.

Ego